



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De conuersione VValevuani militis, qui armatus ad ordine[m] venit, cap.
37.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

MILES quidam nomine Waleuuanus conuerti desiderans, cum dextrario & armis suis militaribus Hemmemrode venit, armatus claustrum intrauit, & sicut mihi retulerūt seniores nostri, qui tunc præsentēs erant, portario ducente, per medium chorū vadens, cōuentu inspiciente, & nouam formam conuersionis mirante, super altare beatę virginis se obtulit, armisque depositis, in eadem domo religionis habitum suscepit. Visum est ei congruum, ibi militiam deponere sæcularem, vbi assumere proponebat militiam spiritualem. Adhuc viuit, vir bonus & religiosus, prius inter monachos nouitius, postea ob humilitatem factus est Conuersus.

CAPVT XXXVIII.

ABBAS Philippus de Ottirburg contrarium fecit, sicut mihi retulit Canonicus quidam Traiectensis, qui tunc temporis præsens fuit. Hic cum esset de honesta parentela natus, & maioris Ecclesię in Colonia canonicus, Rodolphum eiusdem ecclesię scholasticum Parisijs legentem audiuit. Diuina inspirante gratia, magistro suo ignorante, scholas deseruit, & cum esset adolescens delicatus, bonisque vestibus indutus, pauperi scholari sibi occurrenti illas dedit, & vilia vestimenta illius reinduens, ad domum quandam ordinis nostri, quę Bona vallis dicitur, veniens, se in nouitium suscipi humiliter petiuit. Videntes illum fratres cappa trita atque vetusta indutum, æstimantes eum scholarem pauperem & vagum, suscipere renuerunt. Considerans moram repulsię esse periculosam, ingressumque sibi negari, nouissime dixit: Si non susceperitis me, fortè vos pœnitebit, & cum facere volueritis, esse non poterit: tunc demum susceptus est. Cognita eius conuersione, magister Rodolphus dolens cum socijs quibusdam ad monasterium venit, sed fundamentum supra petram positum moueri non potuit: & quia idem Philippus se in conuersione humiliavit, in tantum illū Dominus exaltauit, vt nō multo pōst eidē domui Abbas præficeretur.